

DE MENANDRI SIC. FR. 1 (371 KÖ.)

ἄβραν γὰρ ἀντωνούμενος
ἐρωμένην, ταύτῃ μὲν οὐ παρέδωκ' ἔχειν,
ἔτρεφε δὲ χωρὶς ὡς ἐλευθέρᾳ πρέπει.

Ad comoediae prologum hoc difficile fragmentum pertinere fere omnes consentiunt. De Philumena igitur admodum parva sermo est, quam olim in Caria Stratophanes redemit cum Dromone servo, cuius in amplexu illa haerebat (cfr. vv. 2 sqq.). Sed illo loco quomodo illa *ἄβρα* et *ἐρωμένη* dici potest? Puellula placere profecto atque amari potest, sed non illis nominibus vocari. Ceteroqui posterius aetate progressa Philumeneae amore miles ille ardere coepit et omnia impedimenta, ut uxorem duceret, superare enīsus est. In hoc quidem maxima difficultas inest, in separando tempore quo puellula redempta est a tempore quo illa *ἄβρα* et *ἐρωμένη* nominari poterat. Quod facile intellegi potest ex recenti scripto quo A. M. Belardinelli (Menandro, Sicioni fr. 1 Sand., "Annali della Facoltà di Lettere e Filosofia, Università degli Studi di Bari" 19, 1986, 5-18), fragmenti interpretationibus diligenter excussis, ita rem solvere conata est: "e infatti, avendo comprato per sé la fanciulla che ama, non la affidò a costei [la madre adottiva] che la tenesse per ancilla, ma la educava a parte, come si conviene ad una libera". Sed hic desideraretur *τὴν ἐρωμένην* ac perperam *ἄβραν* et *ἐρωμένην* ita distinentur ut prius vocabulum ex *οὐ παρέδωκ'* pendeat, alterum ex *ἀντωνούμενος* (haec lectio a Photio tradita pro *ἀντωνούμενος* pugnaciter tenetur). Praeterea, ut diximus, non uno eodemque tempore fiunt et Philumeneae redemptio et quae verbis *ἄβραν* atque *ἐρωμένην* significantur. Huic difficultati mederi possumus, si scribimus ex. gr. *〈τὴν ἐσομένην〉 ἄβραν γὰρ...*: "quae ancilla futura erat unius dominae in famulatu, a domino amata, eam huius (sc. Malthacae meretricis) curae non demandavit, sed seorsim educabat, ut puellam liberam decet".

Nihil mirum quod lexicographi verba *τὴν ἐσομένην* omiserunt: nam illorum interfuit vocabulum inusitatum *ἄβρα* explicare et ab illo testimonii initium fecerunt. De particulae *γάρ* collocatione cfr. Men. Epitr. 362 S. (188 KÖ.), 434 (258), 440 (264), 1071 (713); Peric. 360 (170), 471 (221) etc.

ADHELMUS BARIGAZZI